

## Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per  
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi  
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

**Prielee, Gilles vanden**

**Parisiis, 1567**

SABBATO HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAGESIMAE, EPIST. Daniel. 13.

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295**

aut saltem ad proximi ædificationem promouendam,  
has ego nulla ratione ferendas putarem.

SABBATO HEBDOMADAE TER-  
TIAE QUADRAGESIMAE, EPIST.

Daniel. 13.

Et erat vir habitans in Babylone, & nomen  
eius Ioachim: & accepit uxorem nomine Su-  
sannam, filiam Helciae, pulchram nimis, &c.  
Finis Epistolæ: Eamus domum, quia hora præ-  
dij est. Et egressi recesserunt à se, &c.

Libidinoso-  
rum senum  
intemperan-  
tia.

**H**ISTORIA Susannæ cōplectitur quatuor.  
1 Primò, Libidinosorum senum intempe-  
rantia, qua ostro libidinis perciti, Susannæ  
sanctissimæ, castissimæ, & formosissimæ,  
freti ea quam sustinebant dignitate, pudicitiam tentâr.  
Vnde agnoscere licet quàm iunt Dei dona, vt sunt po-  
tētia, autoritas, diuitiæ, & dignitas, periculosa iis qui  
Dei sunt destituti cognitione & timore: facillimè enim  
eis in grauissimâ sui perniciem abutitur caro, dum vi-  
det posse impunè se suam explere libidinem. Nā remo-  
ta Dei, & hominum reuerentia, & timore, quibus ceu  
frenis humana coërcetur audacia, mox cæca in præceps  
ruit, & pro affectus varietate vel ad libidinē, auaritiā,  
dominatum, superbiam, & inuidiam trahitur animus,  
iudicio ita sopito, vt ne vestigium illius superesse vi-  
deatur: facilè nanque rationem superat animi perturba-  
tio: quò fit, vt honestum, decorum, iustum, & æquum  
negligat, quemadmodum hi impij senes, libidine iam  
ebullientem animum circumferentes, depolita personæ,  
& dignitatis, quæ gerebant, consideratione, exarserunt  
in concupiscentia, euerterunt sensum, declinauerunt  
oculos suos ne viderent cælum, nec meminissent iudi-  
ciorū iustorum. Hos nanque tristissimos fructus parit  
hoc malum. Obserua quæ ex illicito alienæ formæ aspe-  
ctu homini accidunt mala: Vide Eccles. 23. 26.

2 Secundò, Susannæ in sua pudicitia tuenda ad extre-  
mum vsque mortis periculum constantiam: quanquam  
nonnihil offenderit solitaria deambulatione, & cor-

Susannæ  
pudicitia.

poris parum licita denudatione. Est enim ubique vitandum, non tantum malum, sed mali occasio: quia cum in hostili versetur solo, continuus est opus excubiis. Aduersarius etenim noster, tanquam leo rugiens, circuit, quærens quem deuoret. Excusari tamē potest Susanna, quia non voluptati, sed corporis tantum necessitati inseruiuit. Si dicas eam nō adhibuisse eam prouidentiam, quam decet honestam matronam in eo casu adhibere: ego id potius Dei ordinationi, & consilio imputarim, volentis tantum pudicitiae exemplar, omnibus præsertim coniugatis ad imitationem proponere, quibus hodie, prōh dolor, penē locus est thori fidem violare. Atqui non sic Susanna, quæ adulterij grauitatem exactius per solam perspexit legem, quam multæ Christianæ gratia fidei sibi blādientes. Nam oppressa inopinato insultu eorum, qui dignitate, officio, & autoritate cæteris omnibus præstarent, fortiter pudicitiam tuetur, & tãquam Adamantino pectore foret, ipsorum impudentiã superat, concepta de diuino adiutorio fide, qua credidit illum non deserere sperantes in se: ipsorum preces spernit, & comminationes superat, non, ut Romana Lucretia, admissum scelus ultore ferro vindicat, flagitium flagitio puniens: sed clamore fiducia in Deum pleno animi dolorem testata. *Angustia*, inquit, *mibi sunt undique.* Si egero, mors mihi est: si non egero, non effugiam manus vestras. Vide quibus erumnis, periculis, & molestiis suos exercere Deus soleat: quos ira subinde deserit, quasi omnem ipsorum curam abiecisset, sed omnia potius sustinent electi, quàm ut hanc fiduciam animo suo dependant. Est enim iustus quasi leo confidens, Prou. 28. Atque ideo sanctissima nostra Susanna, eligit potius absq; opere incidere in manus hominum, quàm peccare in cōspectu Domini, quo velut forti ariete libidinosos vitæ senes, & suam mundo testatur innocentiam.

3 Tertiò, Calumniam, qua opprimere nituntur iniq;uissimi iudices falsa accusatione, testibus corruptis, & iudicibus peruersis innocētissimam Susannam. Etenim contra ordinem iuris sibi qui aduersarij fuerāt, testium, iudicumque partes vendicant, sistitur rea iudicio, patrono destituitur, criminis vt putatur, magnitudine pa-

*Christus suos  
multis erum-  
nis & mole-  
stis exercet.*

*Nulla ne-  
quitia de-  
stabilior,  
quàm quæ  
sanctimo-  
niæ prætex-  
tu relatur.*

*Potentia  
Dei admi-  
rabilis.*

trocinium renuente, omnium calculis, quæ ex odio, & inuidia erat concepta, mortis sententia comprobatur: utpote ab iis prolata, quorum sacrosancta semper fuerat apud homines religio, pietas, & pudicitia. Tanti enim est concepta semel probitatis opinio, ut authoritatem consecuta quiduis penè possit impunè, coram mûdo: quò fit ut nulla sit nequitia detestabilior, quàm quæ sanctimoniam prætextu velatur, ut nec hostis est perniciosior, quàm qui sub amici specie latitat. Sed hoc cene potest ferre Dei providentia, ut adulteri, libidinosi, perfidi, impij & sacrilegi iuris prætextu opprimant ipsam castitatem, pudicitiam, fidem, pietatem, & religionem, Nequeo profectò quin hîc exclamem illud Propheti cum Abacuc 1. Quare taces Domine conculcante impio iustiore se? & ut est Ecclesiastes 4. Innocentis lachrymæ non habent consolatorem, innocentia Susannæ violentiæ iudicum nõ potest resistere, & castitatē luxuria opprimit. Certè huius quæstionis difficultate David expauit, Psalm 72. Hier. cap. 12. Atqui apertissimè docet hic locus impiorum felicitatem non fore diuturnam, nec innocentium calumniam fore apud Deum inultam.

4 Quartò, Admirabilem Dei potentiam, qua eam quæ per calumniam impiorum iudicum opprimebatur, non potenter tantum, sed seruata iuris æquitate, iustoque facto examine liberauit, tali iudice substituto, qui ab affectibus, amore, odio, & maleuolentia, animum haberet liberum: siquidem omnis corruptus iudex male examinat verum: atque idè excirauit spiritum pueri iunioris, cui nomen Daniel, qui ex authoritate diuina pro rea instituto patrocinio, appellat à lata sententia ad exactiorem causæ cognitionem, testium productionem, & circumstantiarum inquisitionem. Ex his enim rei veritas deprehendi in iudiciis solet. Itaque diuulsis ab inuicem impiis iudicibus, ne communicare sua consilia possent, prudenti examine calumniæ deprehendit, dum hic schinum, id est, lentiscum, & alius primum, id est, ilicem, describeret arborem ad perpetrati facinoris locum designandum: ex qua discordia iusto Dei iudicio falsitate deprehensa, absoluta Susanna est, talionis sententia impiis irrogata. Tanta enim est Dei

æquitas iustitiæque, vt veritatem, iustitiam, & innocentiam nunquam omnino deferat, & si quandoque videatur eam prorsus neglexisse. Sic enim solet Deus electos suos quandoque ad extrema quæque, imò ad ipsas, vsque portas mortis demittere, vt Danielis 3. tres pueros in fornace, ipsum Danielem in lacu, cap. 14. vt dum potenti virtute, & præter expectationem liberantur, agnoscant potentiam, & virtutem Dei, nec suæ tribuant aut industriæ, aut prudentiæ, sed soli Deo reddant gloriam, laudem, & honorem.

SABBATO HEBDOMADAE TERTIAE, EVANGELIUM, IOHANNIS 8.

*Iesus autem perrexit in montem Oliueti, & diluculo iterum venit in templum, &c. Finis Euangelij: Vade, & iam amplius noli peccare.*



CHRISTVS impetitus astutiis Pharisaorū magna arte elabitur: sed ita, vt fallam eorū hypocrisin prodat, feriendo ipsorum conscientias. Tria agit in hoc Euangelio. Nam,

I. Primo, Discernit Christus hoc loco inter legem, quæ terret seueritate pœnarū, qua peccata & flagitia punit, & Euangelij, quod pœnitentes in gratiā recipit, sed ita, vt vtrique suum forum relinquat: Neque enim, vt falsò volunt Anabaptistæ, tollit hic Christus omnē ciuile & politicam autoritatē. nā patiēter audit accusatores, reā non statim absoluit, & sententiā ex lege prolatam non damnat, vt iniquam, dum Scribæ & Pharisei mulierem in adulterio deprehensam adducunt, hāc in medio statuunt, & lapidandā ex Mose pronuntiant. Siquidem in omni lege hoc adulterij malum semper grauissimè puni- tum est: etiam apud eos, qui Dei cognitionem non habebant. Nā Aegyptij adulteros virgis caedebant, mulieres naso mutilabant, Arabes adulteros capite plectebant, Græci mœchum in adulterio deprehensum, impunè permittunt necari, & Iudæi ante legem datam, igne puniebant, Genes. 38. de Thamar. In Leuitico mors tātū decernitur. Huc pertinet & sacrificium Zelotypiæ, Num. 5. At nūc, pròh dolor, apud solos Christianos tantū

*Differentia  
legis & Euangelij.*

*Adulteriū  
semper gra-  
uissimè pu-  
nitum.*

nunc ludus est, qui nec legibus ciuilibus, nec horrēdis cōminationibus verbi Dei, 1. Cor. 7. Heb. 13. Pro. 6. 26. Eccl. 23. terrētur. Voluit autē Deus hoc malum, vt etiam cetera, quæ publicā pacē perturbant, morte puniri, non quod ea pœna esse posset satisfactoria: quia Christi mori hoc seruabatur, delere, si peccatū, sed ne populus malum exemplū secutus, mala impunita non putaret esse mala. Id enim tantū agit hoc Euangelio Christus, vt discernat suū regnū à regnis profanis, quorum est actiones ciuiles, capitales sentētiās, forensia negotia, & politicam iurisdictionē cognoscere, ac pro Reipublicæ pace eas tractare, Rom. 13. Regnū autē Christi est tantū spectare salutē animarū, eāque promouere, prædicatione verbi fide, spe, charitate, sacramētorum administratione, quibus pœnitentes in gratiam recipit.

*Regnum  
Christi tan-  
tū spectat  
salutem.  
Iudicis veri  
officiū.*

2 Secundō, Dum sese inclināt, & digito scribit in terram, quodnā veri iudicis sit officium exprimit, nempe, vt Seneca inquit, Citō cognoscere, & tardē iudicare, ac cum propriæ naturæ consideratione sentētiā ferre. Deinde Scribarum, & Phariseorū singularem hypocrisim notat, quod, scilicet, falsō præferant Zelū iustitiæ, quum interim ipsi non minus essent corā Deo rei ac damnati, quàm hec misera: quia vivebāt sine metu iudicij diuini, quod non publica tantū peccata, sed etiam occulta puniet. In terram autem scribēdo significat quale futurum sit de impiis, sceleratis, & peccatoribus iudicium, quod, scilicet, Hier. ca. 17. 22. exprimit. Recedentes à te in terra scribantur. Terra enim impiorum liber est, sicut cælum electorum & prædestinatorum. Luc. 10. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis. Itē Psal. 68. Deleatur de libro viuētium, & cū iustis non scribantur. Dum verō se erigendo, ita sententiam profert, dicēdo, *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidē mittat*, non hoc agit, vt ream non prorsus absoluat, & legē, quæ huiusmodi malum punitur, eneruet, & iudiciariam potestatē damnet, quasi ministros iustitiæ prorsus impecabiles esse velit, sed tantū suā functionē discernit ab officio ciuilis politiæ: quasi dicat, Meū munus est de pœna corporali nihil statuere. O homo quis me constituit iudicē super vos? Luc. 12. Est enim spirituale, iubeo vos

*Terra impio-  
rum liber.*

audire legē: sed politici magistratus est pœnas irrogare. *Politici ma-*  
 Non enim sine cauſa gladium portat, Rom. 13. 2. Para- *gistratus est*  
 lip. 19. Errant vehementer, qui ex hoc loco putāt nemi- *pœnas irro-*  
 ni licere fontes punire, niſi qui ſine peccato ſit. Qui er- *gare.*  
 go eſſent legis miniſtri: quū nemo ſine peccato ſit. Sed  
 quū magistratus miniſter Dei ſit, vindex in iram ei, qui  
 malè agit, ſequitur priuatorū vitia publicæ eorū nō de- *Magistra-*  
 rogare functioni, ideoque rectè magistratus, vel adulte- *tus rectè fon-*  
 ros, vel quoscuque fontes punit: etiamliſ is, qui publi- *tes punit.*  
 cam perſonam gerit, nec pius ſit, nec reprehentione ca-  
 reat, etſi omnino deceret, vt lex iuſta ſecundum Aug.  
 miniſtros haberet innocentes, nedum alios iudicant,  
 ſeipſos condemnent, Rom. 2.

3 Tertiò, Proponit varios Euangelij effectus, quod nō *Euangelij ef-*  
 ſecus ac ſol, pro conditione materiæ, in quam agit, vel *fectus varij,*  
 obdurat, liquefacit. Sic Chriſti ſententia falſos hypocri-  
 tas & accuſatores, qui in occulto agebāt, quod publicè  
 arguebant, condemnat. Quum enim debuiffent reſpi-  
 ſcere, & oblatam ab ipſo gratiā amplecti, excæcati, &  
 obdurati propriâ malitiâ, & accuſante ipſos cōſcientiâ  
 ipſorum, quæ nō permiſit ipſos corā ſeuero, & iuſto iu-  
 dice Chriſto, qui cordiū ipſorum penetralia intrueretur,  
 diu conſiſtere. Sed vt fugit impius nemine proſequēte,  
 Prou. 28. ita malè ſibi conſcij, & metuentes ne proderet  
 ipſorum flagitia, vnus poſt alterum exhibant, incipien-  
 tes à ſenioribus. Conantur enim impij fuga, & occulta-  
 tione peccatorum euadere iudiciū Dei. Veruntamen  
 miſeram hanc & ream, quam peccati cognitio, quæ pri- *Peccati co-*  
 ma ſalutis adipiſcendæ pars eſt, & fiducia miſericordiæ, *gnitio pri-*  
 apud Chriſtū continebant. (Neque enim alibi remiſſio *ma ſalutis*  
 peccatorū obtinenda eſt) Abſoluit, non legē, quæ pu- *adipiſcendæ*  
 blica facinora punit, ſoluendo: ſed tanquā imperator & *pars.*  
 legis author gratiā concedendo. Significat enim hoc fa-  
 cto Chriſtus, ſe verū eſſe Meſſiā, cui Pater omne iudiciū  
 dederit, vt poſſit cui velit miſereri, & quē vult iuſto iu-  
 dicio obdurare. Quibus autē miſeretur, hos nemo con-  
 dēnat, Ro. 8. Quis enim accuſabit aduerſus electos? Id-  
 circo mulier hæc, quia iā per fidē ſenſerat ſe iuſtificatā,  
 & habere pacē cum Deo, Rom. 5. ſecura conſiſtit: quia  
 accuſatores, aduerſarij, & iudices, quanquam poten-

## DOMINICA QVARTA

tissimi, cesserant. Quis enim est qui condemnet, illo absolvente, qui vitæ & mortis habet imperium? Exhibet ergo hic Christus exemplum gratiæ, & misericordiæ, dum pronuntiata sententia condonationis iis, qui ex lege peccati merito damnantur: sed ita ut perpetuam ab iis requirat obedientiam mandatorum, dum ait, *Nec ego te condemnabo, vade in pace, & amplius noli peccare.* Neque enim satis est, semel iustificationem accepisse nisi magna cautione observent, ne acceptam gratiam perdant, in eadem impingendo. Necesse est enim eos, qui conversi sunt obsequi Spiritui sancto, bonis operibus inhaerendo, ut certam suam vocationem faciant.

## DOMINICA QVARTA QVADRA.

GESIMAE, EPISTOLA,

Galat. 4.

Genes. 16.

*Scriptum est enim, Quoniam Abraham duos filios habuit: Unum de ancilla, & unum de libera, &c. Finis Epistolæ: Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ: quia libertate Christus nos liberavit.*



GIT Apostolus hac Epistola tria.

*Legis imper-  
fectio data  
per Moſen.*

1 Primò, Eleganter exprimit naturam legis terrenis sub ænigmate Agar, & Ismahelis, qui per allegoriam, qua aliud ex alio intelligitur, iuxta August. lib. 15. de Trinit. cap. 9. exprimunt legis per Moſen datæ imperfectionem: utpote propter transgressionem positæ. Quemadmodum enim ancilla, & filius ancillæ nihil iuris in ipsam Abraham hereditatem sibi vindicare potuerunt: (Nam illa timore tantum, & spe temporalis mercedis serviens, dum procaciter Saram irridet, ex præcepto divino domo protruditur: & Ismahel qui illicito ludo Isaac illuſit, abiiciebatur ne eſſet hæres cum filio liberæ) ita & illos ostendit Apostolus, qui ſuis viribus ſe iuſtificari poſſe credunt, propriam iuſtitiam ſtatuerе volunt, & in lege iuſtificari præſumunt, à gratia excidiſſe, nec poſſe iuſtitia Chriſti ſubiici. Neque enim qui ex operibus, ſed qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abraham, Quicunque enim